



*Nota actus actuum sibi in quatuor disposito*

## Sermo

oportet peregrina exempla aduocare. quid enim inter omnia animalia homine pulchrius immo quis digne possit humanam pulchritudinem enarrare. sed merito vite suam ipse pulchritudinem tuetur. Nam vita subtracta quid humano corpore vilius. quod eo deformius. quid eo fetidius. ergo maximum bonum est vita. que sic ornat omnia et fructibus reddit aperta. Et ideo pro defendenda vita pugnant omnia animalia fugiunt nocua et querunt sibi salubria. Et quod de maximis dicam. quod dum egrotant querunt sibi medicinam. quando formica et apistata parua querunt sibi odorifera loca et fugiunt fetida. quid est quod falco etiam in acerbissima fame vitat omnia putrida. quia sunt sue vite contraria. quid est quod aquila lapidem preciosum in nido cum filijs ponit. nisi ut eorum vite nihil nocere possit. Quid est quod pellicanus super filios mortuos sanguinem suum fundit. nisi ut eos ad vitam reuocare possit. Maximum ergo bonum est vita. pro qua seruanda tanta est animalium cura. Sic etiam omnis humana industria sollicita est. propter vitam. Ad quid enim comedit homo vel bibit. ad quid vestit. nisi ut eius vita nec interiori calore consumpta. nec frigore exteriori offensa valeat esse salua. Sed si tanta est vita mentis. fides ergo que est anime viuificatiua est virtus nobilissima et fundamentalis potentia. Unde dicitur *Hebre. xi. quod sit substantia. quia sicut substantia est fundamentum et principium omnium actionum. sic et fides bonorum omnium spiritualium.*

**S**ecundo fides est intellectus illuminatiua. per eam enim irradiat super animam lux diuina. unde dicit ad *Hebre. xi. Fides est argumentum non apparentium. Sicut enim in alijs scientijs argumentum est illuminatiuum veritatis. sic et fides respectu supernorum est illustratiua mentis non affectiue illustrando. sed viam eterno radio disponendo. Nam fides est similitudo quidam eterni luminis et ideo ad ipsum recipiendum disponit. Nam in rebus natura-*

libus aperte videmus quod quanto aliquod agens plus inuenit in aliquo obiecto de similitudine sua tanto agit in ipsum maiori efficacia. Verbi gratia. Plus enim percipit de natura luciditatis tabula aurata quam de argentata. Et plus ista quam solus dealbata et hec plus quam lignea. que solus est leuigata. Si hec tabule omnes opponant simul radii solis seorsum a seipsis. radius descendens super eas. super dealbatam maiorem radii refulgentiam generabit. eo quod maxime ei similis sit. Et sic si in eis singulis in illa maiori refulgentia erit. que radio solis similis magis existit. Sic et in nobis spiritualiter fit. quanto quis per maiorem fidem fit eterno luminis amplius similis. tanto ad eternas illuminationes se disponit. Sed dum diuinus radius in ipsum descendit maiorem effectum in ipsum impunit. quia sicut propheta ostendit. Actus actiuorum sunt in paciente et disposito. hoc est autem dicere quod actus agentis est sicut dispositio patientis. Nam actione unica sol agens in ceram soluit. lotum et sal constringit quia sicut dicit in libro de causis. prima causa se vno modo habet ad ipsam. videmus etiam in medicina quod quanto medicina digestiua et preparatiua fuerit conuenientior. tanto purgatiua et expulsiua est perfectior. hoc tamen respectu dei non fit ex necessitate sed potius ex cognitate. Daret igitur ex iam dictis quod non est mirum si heretici sint omnino ceci. cum careant lumine fidei disponente. iuxta illud apostoli *Ephe. iij. Tenebris obscuratum habentes intellectum etc. quid enim videt oculus sine sole. et quid intellectus capiet credibilem sine fidei lumine tolle fidem. quomodo credis virginem parere et omne simile.*

**T**ercio est fides dyabolice tyrannidis expulsiua. nec mirum quod omnis potestas dyabolica est finita. fides autem est quodam modo infinita. eo quod super infinita dei potentia est innixa. unde et dicitur dicit. quod omnia possibilis sunt credenti. ergo si non est cognatio